



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Eleemosyna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A conditum fuerat. in ripa Tyberina summo margine sita esset, amphora casu aliquo vitata, liquorem inde sibi viam aperuisse. Ut cumque, maximi omnino ostenti loco habitum, eique rei monumenta longa annorum serie posteritati commendata. Epopaeus Thestalus, qui Coraci Sicyoniorum Regi successit in Imperio, à Nicteo Thebanorum Rege bello impetitus, commissaque pugna gravi accepto vulnere cum victor evassisset, Palladi templum crexit, qua rogata ut signum aliquod ostenderet, ex quo an id gratum deae donum fore conicere posset, ajunt oleum sponte ante templum fluxisse, simulque Epopaeum haud ita multo post vulnere negligentius curato periisse. Ex Gentilium enim religione observatum est, Deos tunc suae in nos misericordiae signa exhibuisse, cum ex carcere corporis migrare justis essent, id quod aliquod exemplis declaratum est. Simile fuit in Cleobe atque Bythone fratribus juvenibus, qui pientissimi erga matrem Junonis deae sacra peturam, jumentis aliis deficientibus, altro ipsi jugum subiere, pro quorum pietate merita à Junone filiis dona mater cum poposcisset, mane ambo inventi sunt animam efflasse. Quod vero ad misericordiam & veniam implorata attingit, quae multis veterum exemplis per oleum significata fuerint, interpretari libet Aelii Lampridii locum in Hellogabali vita: Sybaritas eo anno periisse, quo missum ex oleo & garo commentum sunt: quod si quis ad eibi genus id & ganeae delicias referat, subfrigida admodum causa videatur: sin ad oraculum, cuius mentionem ex Stephano Hermolaus Byzantius facit, Aegypti cum aliquid, hoc est, eruditus oleum. Tunc quidem Sybaritas peturos oraculum nunciavit, cum major olim honor mortali

B cupiam quam Diis habitus esset, forteque venit, ut servus heri sevitiam subfugitans, ad aras deorum confugiens, nihil profecerit: ut vero ad patris herilis monumentum se recepit, veniam imploravit, atque ita oleum garo, pisculento quippe ac perinde profano, ut in piscibus habetur, pulmentario, commixtum: condonatum quippe crimen profanae reigratia, posthabita divina.

Epopaei religio.

ELEEMOSYNA. — CAP. VI.

PLUVRIBUS vero locis olea in Divinis literis virum probum indicat, qui misericordiae praecipue fructibus abundet, de quo in Psalmo: *Olivae fructifera in domo Domini.* Contra oleaster minimae frugis hominem, vel idololatram ostendit, Paulus: *Si autem tu ex naturali excisus es oleastro.* Tum lucernas in tabernaculo testimonii à vespere usque mane illucescere jubet Dominus, hoc est, iuge esse commiserationis opus. Nam Salamon, *Oleum, ait, de capite tuo non deficiat.* Coram Domino autem illa accendi debet, quia, in abscondito fieri debet eleemosyna, & uni Deo tantum innotescere, ut ingnara sinistra sit quid fecerit dextera. Quod mundissimum esse vultus candelabrum; ostendit opus hoc tantum à colluvie ostentationis & hypocrisis absterfum esse debere. Aliter lucerna super candelabro mundissimo posita semper in conspectu Domini, candelabrum Evangelica est doctrina, in qua Christus virtutes, lucernae instar, splendere praecipit, absurdum esse dicens sub modio eam occultari: oleum vero quod his lucernis infunditur, ipsa est eleemosyna: unde jejunium, virginitas, oratio, justitia, & alia viae nostrae lumina irrigantur & ut perpetua inextinguibiliq; flamma vigeant custodiuntur.

Psal. 52. Rom. 1. 11.

Eccles. 9.

SUPPLICATIO. CAP. VII.

IAM vero notum est illud imbellem olivam à Valerio Flacco quinto Argonaution appellatam, de qua Statius non alia de causa dixit.

Ramumque precantis olivae, atque alibi: Virtute lauras & supplicis arbor olivae.

Ramus enim oleae laurive lana circumvolutus, manibus legatorum supplicantium gestari solitus erat: quo de more Probus Aemilius in Pausania, *Id postquam Lacedaemonis reserverunt, legatos ad eos cum lana miserunt,* Maro quoque, morem hunc tangit:

Olea ramus à legatis gestabatur. Ann. lib. 8.

Optime Grajgenum, cui me fortuna precari, Et vitia compositos voluit praeendere ramos.

Quod quidem hieroglyphicum Servius ad imbecillitatem indicandam institutum putat: nam qui precantur, & supplicat, suam arguunt imbecillitatem. Ex lana vero velamentum id accipi solitum, quod Oves alieno semper auxilio egerant. Hinc sacra illa *laurivum*, de quibus in Theoco Plutarchus:

○○○○ 3